



DE

DIVINA MUNDI MODERATIONE

E MENTE

C. CORNELII TACITI

DISSERTATIO INAUGURALIS,

QUAM

CONSENTIENTE AMPLISSIMO PHILOSOPHORUM ORDINE ACADEMIAE MARBURGENSIS



PUBLICE OFFERT

J. KILIANUS WOLF,

PHIL. DR.



FULDAE CIƆIƆCCCXXX,

TYPIS MUELLERIANIS.

Vix unum veterum scriptorum reperies, quem viri docti magis fusiusque commentati sint, quam *Cajum Cornelium Tacitum*, cujus de ingenio tanta extat disserentium multitudo, ut de eo, quod exsequendum nobis proposuimus, plura dicere nihil adtinere videatur. Illi vero de scriptore nostro ut artifice, rhetore, critico, eoque pragmatica, quam dicunt, historiam tractandi ratione insigni plerumque agere solent, hujusmodi praepositis quaestionibus: Num veritatem rerum gestarum exquisiverit eamque sine ira et studio protulerit? Qua mente mores hominum dijudicaverit? Num rerum ab iis peractarum causas et consilia sit prosecutus, nec non ea omnia, quae pertinent ad usum reipublicae, noverit? Qua vi, subtilitate, luce, ubertate rem suam tractaverit? Qua denique ratione opera sua redegerit in corpus, arte tantopere conspicuum? Nec defuere, qui doctrinam ejus politi-

cam laudarent tractarentque. Excelsam autem ejus mentem, qua omnia refert ad principia philosophica exque his dijudicat, passim tantum adtingunt. Hanc itaque rem equidem ut accuratius exponam, me accinxi. Ne vero quaestio haec justo longius excedat, id tantum nunc eruere sufficiat, quid sit, quod hic vir, imperii romani demorientis ultimum quasi lumen, de *divina mundi moderatione* statuerit[1]).

Quemadmodum coelum ejusque stellas suis in viis rotantes intuendo miram concordiam atque constantiam earum, quae sunt, rerum; quemadmodum porro in corporum mundi majorum relatione, nec non rerum terrestrium constitutiones animadvertendo eximium et sempiternum consilium esse intelligimus; sic in historia generis humani nos eam introspicientes perturbatio rerum horrenda offendit, qua in perturbatione homines ipsos eaque, quae illi bene praeclareque peregerint, periisse, omnes vires hic illicve eminentes adparuisse, mox vero umbrarum instar, luce remota, evanuisse; naturam itaque humanam, mente, voluntate quamvis quam maxi-

1) Seine religiöse Weltansicht.

me intenta, frustra nixam esse videmus. Cursum temporis sistere, imperium malorum extinguere nemo est, qui unquam potuerit. Quibus quidem undique irruentibus omnis, qua viget natura humana, vis, fato coeco adstricta, succubuit; monumenta celeberrima, quae et vera magnitudo et superbia vilis sibi posuerat, tempus mox suffodit, nec quidquam aliud, nisi vana auctorum nomina posteris reliquit. Tali videlicet ratione tempus praesens instansque, vires, quibus gaudet, ac virtutes nihili sunt; haeque fluminis illius tanquam ludibrium mox dilabuntur. Hoc profecto nemo, nisi, qui mente clara historiam contemplatur, comprehendit; neminem vero, nisi, qui de salute hominum admodum extimescat, dolore afficit talis cogitatio. Quod quidem omnes rerum gestarum scriptores testantur. *Tacitus* itaque vitae humanae inconstantiam et fraudem non poterat non animadvertere. Vere omnino res in Urbe post Flavianorum victoriam et Muciani adventum mutatas adpellat Noster magna documenta instabilis fortunae, summa et ima miscentis [1]). Postquam,

1) Hist. IV, 47.

Valerium Messalinum omisisse Claudii mentionem ante principatum ipsius, narraverat, addit: mihi, quanto plura recentium, seu veterum revolvo, tanto magis ludibria rerum mortalium cunctis in negotiis obversantur: quippe fama, spe, veneratione potius omnes destinabantur imperio, quam, quem futurum principem fortuna in occulto tenebat[1]). *Tiberius* nomen Patris patriae repudiavit, neque in acta sua jurari permisit: cuncta mortalium incerta dictitans[2]). Hinc monet *Tacitus*, ut modeste atque temperanter homo vivat, modum ubique servet, nimiamque felicitatem ne affectet; ac mera cum *Herodoti* mente ostendit poenam laesae aequalitatis (cujus auctorem atque conservatorem τὸ Θεῖον φθονερόν sive τὴν ἐκ Θεοῦ νέμεσιν scriptor graecus habet[3]) infligendam, quippe quae a gente ad gentem transgrediatur, sontes cum insontibus una constringens, cunctasque pessumdet civitates. Gaudium, quod *Nero*,

1) Ann. III, 18.

2) Ann. 1, 72. Cf. Curt. IV, 14. Nihil potest esse diuturnum, cui non subest ratio.

3) Herod. I, 32; I, 34; III, 40.

natam sibi ex Poppaea filiam, accepit, ultra mortale adpellat; statim vero addit, illud fluxum fuisse, infante quartum intra mensem defuncta [1]). Indignatur honorem, quem *Vitellius* universum exercitum tribuere jubet filio infanti. Attamen, nimius honos, addit, inter secunda, rebus adversis in solatium cessit [2]). Nam cum ille, post Vespasiani victorias, paulo amictu palatio degrediretur, moesta circum familia, ne unus quidem adeo rerum humanarum immemor, quem non commoveret illa facies, Romanum principem, et generis humani paulo ante dominum, relicta fortunae suae sede, per populum, per urbem, exire de imperio [3]). Nec filius diu superstes fuit, sed Muciani jussu interfectus est [4]). *Titus Sabinus*, qui propter amicitiam *Germanici*, postque hujus mortem, ejus familiae, *Sejano* invisus, ab amico falso adducitur ad querendum de calamitate temporum, auditur, proditur, accusatur et succumbit contumeliosae morti, a

---

1) Ann. XV, 23.

2) Hist. II, 59; cf. Hist. II, 70. Quae laeta in praesens, mox perniciem ipsis fecere.

3) Hist. III, 67 et 68.

4) Hist. IV, 80.

Tiberio illatae[1]). Sic e virtutibus gloria egregiis viris et pericula gliscent[2]). Quis enumerat insontes illos, quorum moestissima sors sorti *Tiberii*[3]) atque *Neronis*[4]) involvebatur? Imprimis autem gentis *Julianae* tristissimam sortem ei adjunctam videmus.

Mens hominum coeca capit consilia, quae, quod sine providentia, temperantia ac nimis mature effici solent, irrita cadunt; superbia atque temeritas homines in perniciem agit praecipites. Quam rem Noster probat praeclaro exemplo *Brutidii Nigri* cujusdam, quem artibus honestis copiosum et, si rectum iter perrexisset, ad clarissima quaeque iturum, festinatio exstimulabat, dum aequales, dein superiores, postremo suasmet ipse spes anteire parabat: quod multos, etiam bonos, pessumdedit, qui, spretis, quae tarda cum securitate, praematura, vel cum exitio, properant[5]).

---

1) Ann. IV, 68—70.
2) Ann. XV, 23.
3) Cf. Ann. IV, 57, 67.
4) Ann. XIII, 2 sqq.; Ann. XIV, XV, XVI.
5) Ann. III. 66,

Eo vero, quod Noster hominem nequaquam potentem esse sui ipsius fati omnino sibi habet persuasum, quapropter is non habeat, cur fastu infletur, seque efferat; ad quoddam superius, quo res humanae moderentur, regimen agnoscendum convertit mentem. Haud tamen hoc facit ea ratione, qua homo incultus, impar eventus naturales ex causis moralibus, exortos comprehendendo, infortunii cujusdam causam quaerit non in semet ipso, in culpa sua, aut in nexu naturali, sed in impulsu infestorum superorum; et quo gravior majorque pernicies, eo magis cernitur illa tyrannica eorum licentia [1]). Quodcontra *Tacitus*, tanta ipsius ingenii sagacitate studiis philosophorum admodum exculta, excitatus a rerum externarum eventu, insitam atque innatam esse animo humano sententiam, qua numen quoddam hominibus longe sanctius perfectiusque res mundanas cum potestate et

1) Blümneri libellus aureus, cui titulus est: Ueber die Idee des Schicksals in den Tragödien des Aischylos. Lpz. 1814. p. 93. — Böttigeri pr. 2. de Herodoti historia ad carm. ep. indol. accedente (in Rupertii et Schlichthorstii, comment. philolog. V, II, p. 75.)

sapientia moderari auguretur, omnino percepit. Quid? Hominis natura, si quis recte eam cognoverit, sponte ipsum eo adducit, ut esse vim aliquam superiorem, ex qua originem et vitam duxerit, ratum habeat. Simul vero etiam intelligit, illud supremum, ex quo vitam habet enatam, ejusdem esse indolis, quoniam principium sui simile tantum procreare potest. Nec ullum invenimus, qui sui ipsius recte conscius, Deum, aut quo alio nomine vim illam adpellare lubet, existere, unquam negasset; aut qui, hoc quacunque mentis infirmitate si forte contenderit, re accuratius pensitata, se falsae opinioni inhaesisse, non fassus esset. Unum vero nonnisi Deum ratio humana potest agnoscere, in quo nec virium neque virtutum varietas cernitur. Una enim est ejus natura neque varia, quam tamen unam indefinitamque naturam variis modis percipere possumus. Unde variae numinis illae notiones, variaeque rationes, quibus homines illud nunquam non veneratos esse historia temporum docet. Quibus quidem notionibus seu religione quadam positiva seu libera philosohanpdi ratione recte excultis aut male perversis

quemcunque de rerum natura cogitantem modo bene duci, modo turbari in numinis vera notione constituenda haud raro videmus. Hoc et *Tacitum* expertum esse, quis est, qui neget. En vim aliquam, qua res humanae reguntur, sane intelligit, eamque in rerum moderatione unicam comprehendit voce Deus, numen [1]), numen Deum [2]), qua ratione et *Herodotum* vocibus Θεός, θεῖον, δαιμόνιον [3]) vim moderationis divinae suam comprehendisse constat. Ex hac vero voce, quemadmodum in graeco, illo historiae parente [4]), ita in nostro historico, clarae notionis luce carente fluctuant reliquae dicendi rationes, quibus *Tacitus*, se accommodans aevi sui polytheismo, hic illicque multorum Deorum mentionem facit. Omnia igitur, quae, numine moderante, in mundo contingunt, ex ejus voluntate eveniunt. Quod si tanquam necessitate extrinsecus imposita fieri intelligitur, notio *Fati* formatur, quod, quatenus in voluntate divina

1) Ann. XIII, 41.

2) Ann. XIV, 22.

3) Cf. Herod. II, 24; IX, 16; III, 108.

4) e. g. Herod. IV, 205.

continetur ejusque consilio constituitur, *Praedestinationis* exhibet notionem. In cogitatione vero, per quam rerum universitatem Deique naturam eorumque inter se relationem clare, quatenus homo quidem scire possit, percipimus, notiones fortunae, fati et potentiae divinae in unam eandemque coalescunt. *Tacitum* in illum adscendisse locum, ex quo mundum recte tantum contemplari possumus, sicut *Herodotum* in sua θείῃ τύχῃ [1]) videmus, ex iis, quae sequuntur, patebit.

Nostrum vero, quamvis eum tali mundi cogitationi parem esse censeamus, tamen huc illucve fluctuare non negandum videtur. Quippe, quum eum salutem a Diis petentem, spes in Deorum et hominum communione et societate inter ipsos [2]) posita centies fefellisset, recurrit ad fortunam. Quae quidem, quum coeco arbitrio dispensare videatur sua, eum longius, et in contrarium duxit, ad Fatum. Sed et hoc cum notione, quam habebat de virtute rectaque vivendi ratione, minus convenit. Unde evenit, ut

1) Herod. IV, 8.
2) Cic. off. I, 43.

Pyrrhonis in modum fateretur, sibi in incerto judicium esse, fatone res mortalium et necessitate immutabili, an forte volvantur[1]). Quum igitur in rebus humanis contemplandis nil certum hac de re experiri posset, ad philosophos se contulit. Sapientissimos vero veterum, quique sectam eorum aemulantur, inter se dissentientes reperiebat. Quid ni? Homo incultus rerum eventus sua ratione sensuque explicare studuit. Alii, in illis nihil nisi nexu fortuito reperto, omnia casui tribuerunt, alii cuidam, quod supra naturam est, adnexuere. Cogitabant eventus esse praedestinatos sive per necessitatem quandam, Fatum, quod, nulla superiori voluntate sapiente moderatum, ipsum esset summum, sive per obscurum quidem, sed potentius numen aliquod, eos moderans[2]). Sed etiam hac in re dissentiebant. Modo nimirum crudelitate, invidia, affectibus, dolo, debilitate illud summum regi[3]), modo benignum, sapiens, po-

1) Ann. VI, 22. cf. Ann. XIII, 12.

2) Sen. ep. 16. Lucan. Pharsal. II, 7.

3) Aeschyl. Fragm. T, II, p. 647. Herod. 1, 32; III, 40. Flor. I, 13.

tens, imo et altius et potentius Diis omnibus[1]) esse divinabantur. Jam ex quo in Graecia philosophabantur de quaestione an et quae sit mundi origo, aliam de mundi moderatione conjunxere notionem. Qua quidem ratione et philosophi et poetae doctrinas has variis argumentis firmatas excoluerunt[2]).

Omnia, quae Tacitus collegerat ex his variis de administratione mundi doctrinis, in hisce presse conscripta nobis reliquit: Multis insitam esse opinionem, *non initia nostri, non finem, non denique homines Diis curae, ideo creberrima et tristia in bonos et laeta apud deteriores esse.* Contra alii, *fatum quidem congruere rebus*[3]) putant, *sed non e vagis stellis,*

1) Herod. 1, 91: τὴν πεπρωμένην μοίρην ἀδύνατά ἐστι ἀποφυγέειν καὶ θεῷ. Cf. Menandri fragm. p. 200. Cleric. πάντων τύραννος ἡ τύχη 'στιν τῶν θεῶν.

2) Cf. Voss ad Hymn. in Demet. Heidelb. 1826, p. 63. Blümner l. l. p. 143. — Arpei theatrum fati; Grotii philosophorum sententiae de fato; G. J. Vossius de theol. gent. l. II, 43. — Werdermann: Versuch einer Geschichte der Meinungen über Schicksal und menschliche Freiheit. Leipz. 1793. — Commentatio de Aeschyli Prometheo auct. B. A. Toepelmann, Lips. 1829, p. 50.

3) Homines eorumque negotia fato regi ac gubernari.

verum apud principia et nexus naturalium causarum[1]: *ac tamen electionem vitae* nobis relinquunt[2]; *quam ubi elegeris, certum imminentium*[3]) *ordinem, neque mala vel bona, quae vulgus putet: multos, qui conflictari adversis videantur, beatos, ac plerosque, quamquam magnas per opes, miserrimos; si illi gravem fortunam constanter tolerent, hi prospera inconsulte utantur.* Ceterum plurimis mortalium non eximitur, quin *primo cujusque ortu ventura destinentur: sed quaedam secus, quam dicta sint, cadere, fallaciis ignara dicentium*[4]; *ita corrumpi fidem artis, cujus clara documenta et antiqua aetas et nostra tulerit*[5].

Quod si primam harum sententiarum effluxam e doctrina Epicureorum, qui casu seu

1) Immobili rerum naturalium serie atque ordine immutabili.

2) i. e. liberam hominibus voluntatem relinquunt vitae suae rationes pro lubitu instituendi.

3) futurorum fatorum.

4) Id tribuendum esse non ipsi arti, Astrologiae, sed artificum culpae erroribusque, qui ignota saepe praedicant, nec artem satis solide intelligant.

5) Ann. VI, 22.

fortuito res mundanas evenire putant, anquiras, *Tacitum* invenies eam non modo non amplecti; imo vero sane ille Deos, ut jam probavimus, agnoscit, negatque nusquam. Regere Deos res mortalium, eorumque favorem [1]) fortunam praebere secundam, propitios [2]) esse erga genus humanum sibi habet persuasum. Non solum hiemis modestia, sed etiam magna Deorum benignitas Urbem frugum egestate et orta ex ea fame, Claudio imperante liberat [3]); atque Galli, Batavi et Germani jam victores, non sine ope divina, mutatis repente animis, in acie contra *Petilium Cerealem* terga vertunt [4]). Quam vim Dii in res humanas exerceant, probant etiam sanationes, quas *Vespasianus* coelesti favore et quadam in ipsum inclinatione numinum *Alexandriae* exhibuit, miraculosae, et quae ei ibi acciderunt. Quae quidem referens [5]) *Tacitus* quoniam addit: „Utrumque, qui interfuere nunc quoque

1) Germ. 33. Favor erga nos Deorum. Cf. Ann. IV, 27. Velut munere Deum.
2) Germ. 5.
3) Ann. XII, 43.
4) Hist. IV. 78.
5) Hist. IV, 81.

memorant, postquam nullum mendacio pretium," neque non ex ipsa narrandi ratione, haud videtur alienus fuisse, quin rei peractae fidem haberet. Oderunt malum Dii, quapropter et efficiunt, ut mala facinora detegantur, sicut *Neronis*, qui templum Vestae ingressus repente cunctos per artus tremuit, seu numine exterrente, seu facinorum recordatione nunquam timore vacuus[1]). Iique erant, qui noctem, qua iste nefandus sub casus specie matrem in mari perdendi consilium ceperat, sideribus illustrem, et placido mari quietem, quasi convincendum ad scelus, praebuere[2]).

Satis igitur ex his, etsi ea, quae sequuntur, non cederent, probaretur, cur non, *Tacitum* summum illud et aeternum, neque mutabile neque interiturum[3]), quod Judaei, atque Deum omnium regnatorem[4]), quem Suevi et Semnones venerantur, negare seu eum ἀθεέτητον omnino nulli seu nulli alii religioni, nisi quae prudentium

1) Ann. XV, 36.
2) Ann. XIV, 5.
3) Hist. V, 5.
4) Germ. 39.

hodie vocari solet, addictum fuisse, quemadmodum passim arguere [1]), opinemur.

Imo vero locus ille **Hist.** V, 5. [2]), ubi Noster de unius Dei venerandi ratione et ea pura menteque sola instituenda loquitur, est, ut accuratius exquiratur. *Tacitus* nimirum ostendit, ideam, quae inest Monotheismo, se non solum comprehendere, verum etiam sua dicendi ratione exprimere posse. Ast etiam res profecto erat rarior, quam ut mentem Taciti, ut erat, non alliceret, quin accuratius de eo meditaretur.

Tantum abest, ut illi crimini maligno adsentiam, ut *Cornelium* sublimiores de numine notiones, quam aequales, habuisse pro rato habeam. Quid? Cavillaris forsan sapientem nostrum, quod religionem tunc temporis communem tam parvi

---

1) Cf. J. G. Meisneri dissert. de obsidione Hierosolymitana ex V. Hist. C. C. Taciti. Witteb. 1674.

2) „Nec quidquam (Judaei) prius imbuuntur, quam contemnere Deos; — Aegyptii pleraque animalia effigiesque compositas venerantur. Judaei mente sola, unumque numen intelligunt. Profanos, qui Deum imagines, mortalibus materiis in species hominum effingant. Summum illud et aeternum, neque mutabile, neque interiturum. Igitur nulla simulacra urbibus suis, nedum templis sunt."

habuerit? Ecquid aliud erat haec, nisi ratio sacrificiis ac vanis ceremoniis Deos colendi inanes et ex timore nec non dolo natos. Canebant, mactabant, libabant, mores autem emendare nequaquam curabant. Quotusquisque enim mente sana credebat colebatque Deos tanta superstitione ac ceremoniis vanis? Scimus, quam parvi *Cicero* aestimaverit Deos, quidque de cultu eorum judicaverit. Religio Romanorum fovebat libidines atque improbitatem, quam eandem optimates profitebantur, quatenus otio publico serviebat. Religionem vero tyranni tanquam fraudulentum cum numine pactum, quo iste populum ludibrio habeat suasque libidines quasi sacret, putare licet.

Quamquam vero *Tacitus*, quod jam videbimus, minime superstitiosis opinionibus vulgi deditus esset, nihilominus tamen religionem publicam atque omnia sacra servanda censebat ac omne damnabat sacrilegium. Capitolium enim bello civili, a Vespasiano contra Vitellium gesto, conflagrasse narrans verba addit: „Id facinus post conditam urbem luctuosissimum foedissimumque Reipublicae Populi

Romani accidit: nullo externo hoste, propitiis, si per mores nostros liceret, Deis, sedem Jovis O. M. auspicato a majoribus, pignus Imperii, conditam, quam non Porsena dedita urbe, neque Galli capta, temerare potuissent, furore principum exscindi [1])! Quibus ex verbis simul adparet, quomodo Deos maxime venerandos esse *Tacitus* censuerit, quippe quod moribus honestis atque integritate vitae efficere possemus, ut Dii nobis sint propitii.

Videbat Noster templa Deorum proruta, aetatem suam continuis accusationibus, amicitiis fallacibus, pernicie innocentium contaminatam, virtutem prostratam, sanguinem domos civium inundantem, saevitiam oratorum; videbat delatores praemiis allici, stupidos ac sceleratos regnum tenere, foeminas corruptas honorari, earum malitiae furorique tot hominum immolari, omnes leges corrumpi, justitiam, veritatem atque integritatem constrictam et expulsam. Haec quum videret, potentiam imperiis terrestribus superiorem, qua omnia, quae mala quaeque sunt bona, compensarentur, ut desideraret, animus ferebat.

1) Hist. III, 72.

nisi de se deque mundo desperare vellet. Ratio enim nostra, quam dicunt, practica, sola remunerandi cogitatione sibi satisfacit; scelus nempe poena, virtutem beatitudine debita afficiendam censens. Dum autem mens nostra hac cogitatione res, quæ in mundo accidunt, cum liberis hominum actionibus, tanquam eas, quæ ex hisce sequantur, conjungit, primitivam mundi dispositionem nexui cuidam causali committat necesse est, qui aliis, quam legibus naturalibus sit constitutus. Res ipsae, quatenus mente intelliguntur, etiamtum, subjectae erant aequali necessitati; sed summa earum causa, quae nondum adparet, quae solummodo cogitari, neutiquam vero mente percipi potest, fati potestati subtrahebatur, atque ita ratio in variis sese exserens actionibus, in quibus leges dat ipsa atque in adplicandis iis, quae menti praescriptae sunt, ducem agit, pristino secum ipsa dissensu liberatur. Idea coecae cujusdam necessitatis eam notionem accipere debebat, quae sola rationis moralis legibus accommodatur. Infinita illa catena, qua omnes naturae res continentur, throno Numinis alligabatur atque

rationi piae ordo aeterna providentia sapienter constitutus [1]) ultra quidem naturam adparebat.

Notionem igitur poenae esse diximus, unde ratio viam ex naturae finibus in sublimiorem regionem muniret. Poena autem postulat crimen i. e. actionem libere ac consilio commissam, qua leges violavimus. Hac ratione ea, quae sequuntur crimina, non solum sequi tanquam fortuito, sed a Numine cum sceleribus vindicandis conconsilio conjungi creduntur. Quapropter *Tacitus*, ad quem redimus, omnes aerumnas, quibus respublica per principes eosque, quibus illi favebant, afficiebatur, esse ira divina [2]) ei immissas, sibi persuasum habuit. *Aelius Sejanus* Tiberium devinxit non tam sollertia, quam Deum ira in rem Romanam, cujus pari exitio viguit ceciditque [3]); fatali nempe quodam Reip. Romanae malo: quia non vita modo, sed mors ejus, ex qua tot malis remedium sperari debebat, Remp. afflixit, et priores miserias nova strage cumulavit. Anceps *Neronis* valetudo iram Deum

1) Die sittliche Weltordnung.

2) Secundum Stoicos puniunt quidem Dii, sed non irascuntur.

3) Ann. IV, 1.

affirmavit [1]). Innumerabiles caedes sub Nerone eadem paravit [2]); et Dii sunt, qui eundem annum tot facinoribus foedum etiam tempestatibus et morbis insignivere [3]). Exercitus *Othonis* et *Vitellii* inter se pugnantes, sicut exercitus priorum bellorum, eadem Deum ira, eadem hominum rabies, eaedem scelerum causae in discordiam egere [4]). Saepe etiam miraculo manifestum est, exitium, Numine infensante, scelus sequi [5]).

Tacitus in opinione, rerum ordinem, si quis temere eum ac sceleste violaverit, poenis infligendis restituendum nec non emendandum esse, conquievit. Verum eum ipsum movebat, quod

1) Ann. XIV, 22.

2) Ann. XVI, 16. Ira illa Numinum in res Romanas fuit, quam non, ut in cladibus exercituum, aut captivitate urbium, semel editam transire licet.

3) Ann. XVI, 13.

4) Hist. II, 38; cf. Ann. I, 39. Tum (Germanicus) fatalem increpans rabiem, neque militum, sed Deum ira resurgere, cur venerint legati, aperit. Cf. et Cic. pro Ligar. c. 6. Ac mihi quidem, si proprium et verum nomen nostri mali quaeratur, fatalis quaedam calamitas incidisse videtur, ut imprŏvidas hominum mentes occupavisse: ut nemo mirari debeat, humana consilia divina necessitate esse superata.

5) Ann. XIII, 41.

perspectum habuit, Deos bonum malumve facinus pari incuria transmittere, sive iisdem oculis pios malis afflictos, ac malos fortuna fausta abundantes adspicere. Quæ quidem ipsi probantur *Cassii Asclepiodoti*, viri honesti exemplo. Exutus hic, inquit, omnibus fortunis et in exilium actus; aequitate Deum erga bona malaque documenta [1]). *Tacitus* igitur Deorum aequitatem quum vocat, qua illi bene maleque facta omnino indifferenter ferant, nihilque discriminis faciant inter illa, sane videtur ἐπικουρίζειν, ut dicunt; excusatius tamen, quoniam multos bonos concussit improborum felicitas, atque infortunia, quae virtutem sequuntur, vitae probae minime convenientia. Res enim contrarie eventae sceleraque, quae tantum abest, sceleratum ut pessumdent, ut eum potius felicem reddant, id quod firmissimam in Numen sanctum fidem in dubia vocare valet atque labefactare. Etenim animus perculsus ordinem rerum superiorem, quo, etsi, forsan longum post tempus, omnia compensantur, non statuens, nunc, tempore aerumnarum, expetit, ut praemium dignum debitave poena dirimat litem, quae rerum naturam intercedens

1) Ann. XVI, 33.

et sensum nostrum honesti pulchrique animum nostrum discerpit. Hoc vero si non accidit, exclamare solent, Deum res humanas negligere, aliudve ejusmodi, cujus exempla sexcenta legimus apud poetas tragicos[1]). Ne vero huc referas verba, quae *Cornelius* noster, postquam portenta, quae post caedem Agrippinae per Neronem perpetratam acciderunt, enarraverat, adjecit: „Quae adeo, inquit, sine cura Deum eveniebant, ut multos post annos Nero imperium et scelera continuaverit[2]).“ Hisce nimirum irridet prodigia eorumque indicat vanitatem atque innuit in memoratis naturae eventibus nihil fuisse, quod coelestium iram adstrueret. Alterum vero, quod ipse videbat etiam sceleratos afflictos poena, et tanta calamitatum serie patriam, cui tenerrimo animo deditus erat, oppressam atque devastatam, est, quod Historico tantum injiciat moeroris, ut Deos habeat eos, quibus non imperii securitas, sed ultio curae sit[3]), seu ex sententia Tiberii, quibus injuriae curae[4]).

---

1) e. g. Aeschyl. Sept. ad Theb. 687; Eurip. Belleroph. 25; Eurip. Alkmaeon 7. Cf. Plutarch. S. N. V. 12.

2) Ann. XIV, 12. Cff. interprett. ad h. l.

3) Hist. I, 3.

4) Ann. I, 13.

Dum igitur asserit, Diis esse curae ultionem, ab Epicuro dissentiens intentat hominibus sceleratis; neque tamen Taciti sententia intelligi debet, acsi Deos nonnisi vindices statuerit. Quod si ita esset, id, quod Deus est, vim scilicet beneficam, salutarem et adjuvantem eo sustulisset, quam adeo alibi Diis tribuit[1]). Sed docet, vindices esse Deos et plectere scelestos, amare itaque amantes virtutis piosque, hisque esse propitios, ut, qui non ducitur amore virtutis, saltem formidine poenae deterreatur a flagitiis perpetrandis. Si ergo Diis curae est ultio, certe curam gerunt rerum humanarum. Adeo *Tacitus* suo more *tragico*[2]) tribuit Diis crudelitatem non eo

1) Cf. Lipsium ad Hist. I, 3.

2) Cf. A. G. Lange, Vindiciae Tragoediae Romanae. Lips. 1822. Parergon VI, p. 53. „Ea vero tragica, si hoc nomine appellare licet, in historico ars illustrior est, quam apud quempiam veterum recentiorumve historicorum, ex mea quidem sententia, in Cornelio Tacito. Ingenium ejus tam altum, dictio tam acris, argumentum tam lugubre et horrendum, ut, sive sententias, ut ictuum gravium instar passim injectas, spectemus, sive mores ad veritatem et gravitatem depictos, sive denique casus et conatus ad excitandos miserationis et terroris sensus mirifica vi enarratos, haec tamquam a poeta dicta divinitus, nosmet ipsos in tragicam scenam delatos putemus."

sensu, quo eum dicimus crudelem, qui praeter modum et leges parva delicta gravissimis poenis plectat, vel etiam innocentes suppliciis afficiat, gaudium inde percipiens, sed eo, quo Dii poena justa plectant scelera. *Tacitus* igitur providentiam divinam contra Epicureorum impietatem defendit, quorum quidem ex sententia[1]) Dii res humanas non curant, nec virtutibus propitii, nec infensi sceleribus[2]).

Sed ne id quidem, quod persuasum habuit, Deos esse, qui plecterent sceleratos, animo scriptoris distracto praebet quietem, contrario rebus in gestis conspecto. Alteram exinde sapientium opinionem de mundi rerumque humanarum regimine, de *Fato* scilicet atque *Fortuna*, am-

— Süvern über den Kunstcharacter des Tacitus. In den Abhandlungen der historisch-philologischen Classe der königl. Academie der Wissenschaften zu Berlin. Aus den Jahren 1822 u. 1823. S. 73—136.

1) Legimus hanc sententiam apud Ennium (p. 224 Hessel.) ita expressam:

Ego deum genus esse semper dixi et dicam coelitum;
Sed eos non curare opinor, quid agat humanum genus.
Nam si curent, bene bonis sit, male malis, quod nunc abest.

2) Cf. Octavii Ferrarii pro C. Tacito Apologetica. Prolusio XVII. Patav. 1654. p. 16.

plectitur. Qua etiam in re, quum Fatum cum Diis conjungit, Stoicis eum consentire videmus, secundum quos utraque *Fati Deique* cogitatio in unam illius *divinae necessitatis*[1]) coalescit. Quid autem esse *Fatum* hi philosophi putant? Chrysippus, Stoae princeps, illud in quarto περὶ προνοίας libro, hisce definit: Fatum est sempiterna quaedam et indeclinabilis series rerum et catena, volvens semetipsa sese et implicans per aeternos consequentiae ordines, ex quibus apta connexaque est[2]). Cui quidem definitioni ceteri consentiunt[3]). Per se patet, et actiones nostras catenae illi implicitas esse. Ast offendit ratio, qua Stoici *Fatum* conjungunt cum Numine. Deus enim illis est auctor Fati, cui tamen ipse obnoxius habetur[4]). Unde tamen Dei libertatem non auf-

1) Cic. pro Ligario c. 6.

2) Gell. N. A. VI, 2.

3) Diog. Laert. de Vita Zenon. l. VII. — Senec. de Benef. IV, 7. Nil aliud est fatum, quam series implexa causarum. Nat. Quaest. II, 35, 36, 37, 38, ubi praeter alia docet: Fatum esse necessitatem rerum omnium actionumque, quam nulla vis rumpat. Fata jus suum peragunt, ex destinato fluunt, et primum ordinem rerum fati aeterna series rotat, cujus haec prima lex est, stare decreto.

4) Senec. de prov. V. 6. Ille ipse conditor ac rector scripsit fata, sed sequitur; semper paret, simul jussit.

ferri docent, quod in ea ipsa sit causa movendi, ut agat; ipsum enim esse suam ipsius necessitatem [1]). Ita evenit, ut philosophi illa nomina, quibus vim mundum gubernantem adpellant, unius ejusdemque rei esse passim statuant [2]). Quo quidem etiam *Taciti* verba: „quod (aquarum penuria) in pace fors, seu natura, tunc fatum et ira Dei vocabatur [3])" spectant. Quas vero *Tacitus*, quum de *Fato* tantum loquitur, ei tribuit partes?

Multa accidunt nobis invitis; humana consilia, etiam si quis antea divinaverit certum

1) Senec. in praef. in nat. quaest. p. 152. Necesse est ei eadem placere, cui nisi optima placere non possunt: Nec ob hoc minus liber et potens est, ipse est enim sua necessitas. Vis illum fatum vocare? non errabis. Hic est, ex quo suspensa sunt omnia, causa causarum. Vis illum providentiam dicere? recte dices. Est enim, cujus consilio huic mundo providetur, ut inconfusus eat et actus suos explicet. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est totum, quod vides, totus suis partibus inditus et se sustinens vi sua.

2) Senec. loc. praeced. Id. de Benef. IV, 8. Si hunc naturam vocas, fatum, fortunam, omnia ejusdem Dei nomina sunt, varie utentis potestate sua. Cf. Plut. de Stoic. repugn. c. 34. — J. Stob. I, p. 178. Heeren.

3) Hist. IV, 26.

eventum, intercipiuntur; sors nascendi nostra est, ut alii felici sidere pulchroque, alii infesto vitam transigant; utque hi opibus floreant, illi paupere supellectile jaceant. Hoc est, quod sorti natali et fato ipsi tribuit. Occulta lege fati, inquit, destinatum Vespasiano liberisque ejus imperium, post fortunam credimus [1]). Omnino autem fatum eos rerum eventus ducit, quorum causa extra omnem ratiocinationem est, neque intelligitur. Hac igitur ratione non senatus modo et eques, sed vulgus quoque palam moeret, *Othonem* atque *Vitellium*, duos, omnium mortalium impudicitia, ignavia, luxuria deterrimos, velut ad perdendum Imperium fataliter electos [2]). *Claudius Civilis* seditionem paravit, principium interno simul externoque bello parantibus fatis [3]). Idem est fatum, cui animi humani conditiones, cogitationes obscurae consiliaque ignota tribuuntur. *Celso*, qui constanter servatae erga *Galbam* fidei crimen confessus erat, mansit, velut fataliter, etiam pro *Othone* fides integra et infelix [4]). Est

1) Hist. I, 10.
2) Hist. I, 50.
3) Hist. II, 69.
4) Hist. I, 71.

fatalis omnium ignavia, quae principes Pisonianae conjurationis infringit [1]). *Tiberius* de tradenda Rep. primum inter nepotes dubitans ac mox incertus animi consilium, cui impar erat, fato permisit [2]). Magna et misera civitas — varia pudenda sorte agebat [3]).

Saepissime vero etiam *Fortuna* eodem sensu, quo *fatum*, accipitur causa eventuum, quae latet mentem humanam. Etenim quod Fortuna est, quae initia causasque Imperio struebat *Vespasiani* [4]), cujus fortuna [5]) pro virtutibus habebatur, ea pro ipso fato habenda videtur, eo magis, quod Noster addit: „Sufficere videbantur adversus *Vitellium* pars copiarum et dux *Mucianus* et *Vespasiani* nomen, ac nihil arduum fatis.“ Atque: „Patuit, quantum discriminis adeundum foret, ni *Vitellium* retro fortuna vertisset [6]).“ Sin autem Fortuna juxta fatum ponitur, quemadmodum in hac sententia: „Maneat, duretque gentibus — odium sui, quando in urgentibus

1) Ann. XV, 61. Cf. ib. XI, 26.
2) Ann. VI, 46.
3) Hist. II, 95.
4) Hist. II, 1.
5) Hist. II, 82.
6) Hist. III, 59.

fatis nihil jam praestare Fortuna majus potest, quam hostium discordiam [1]);" nihil impedit, quo minus eam ac Deos ipsos, seu favorem eorum, paulo antea memoratum, quippe qui fugam caedemque Bructerorum Romanis praestiterit, intelligamus; vel Tacitus ea causas ei ignotas, quibuscunque discordia inter hostes excitata fuerit, significare voluit, ut ea ruinam Imperio certissime imminentem aliquod tempus saltem morarentur. Hac etiam ratione id est intelligendum, quod statim ab initio Historiarum [2]) monet. Antequam, inquit, destinata componam, repetendum videtur, qualis status urbis, quae mens exercituum, quis habitus provinciarum, quid in toto terrarum orbe validum, quid aegrum fuerit; *ut non modo casus eventusque rerum, qui plerumque fortuiti sunt, sed ratio etiam causaeque noscantur.*"

Quapropter tantum abest, ut equidem viris doctis [3]) consentiens *Tacito* dictum sibi contrarium imputem, ut ratum habeam, *Tacitum* casus adpellare fortuitos non eos, qui plane omnibus careant causis (ecquis casus ejusmodi mente per-

1) Germ. 33.
2) I, 4.
3) V. Interprett. ad h. l.

cipiat?), ita, ut illis opponat, qui revera causis adpareant; sed eos intelligere, quatenus causae eorum ignotae[1]), ipsique obnoxii sint viribus physicis[2]), et moralibus simul concurrentibus, id, quod nemo divinare potest. Nam permulta contra exspectationem accidunt[3]); sed nihil turpius, quam fieri sine causa quidquam dicere. Moralium itaque illarum virium simul et naturalium concursus, qui ratione obscura seu ignota casus eventusque regit, praebebat ei notionem *Fortunae*, et quidem modo *benignae*[4]), modo *ancipitis*[5]), modo *adversae*[6]) et *instabilis*[7]). *Casus* merus esset id, quod

1) Cf. Hift. I, 63. Caedebant furore et rabie et causis incertis, eoque difficilioribus remediis.

2) Cf. Hift. I, 86. Fortuitis vel naturalibus causis.

3) Ann. I, 49. Cetera (eventum) fors regit. Cf. Nero ap. Suet. c. 33. Omnia se facienda fecisse, sed eventum in manu fortunae.

4) Ann. II, 25. Utrisque (Marsis et Romanis) adfuit fortuna. Hift. II, 12. Blandiebatur coeptis (Othonis) fortuna. Cf. Ann. XIII, 41.

5) Hift. II, 1. Struebat jam Fortuna initia causasque Imperio, quod varia sorte, laetum Reip. aut atrox, ipsis Principibus prosperum, aut exitio fuit. — Hist. III, 19 Anceps proelii fortuna.

6) Hift. III, 59.

7) Hift. IV. 47. Inftabilis fortuna summaque et ima miscet. Cf. Ann. I, 72.

omnino sine causa eveniret; hoc autem menti sanae omnino repugnat, propterea, quod haec omnia, quae fiunt, nonnisi ex lege, quam dicunt, causali, intelliguntur. Atqui Historia ea, quae sunt gesta, secundum leges mentis exponere debet; quod fieri nequit, si res sine causa ortas enarrare studet. Sed ut brevibus hanc quaestionem absolvam, verba *Lessingii*, quibus, quamcunque ingenii facultatem denotat eximiam, optime hic ad *Tacitum* referenda crediderim. Scripsit ille [1]): Das Genie können nur Begebenheiten beschäftigen, die in einander gegründet sind, nur Ketten von Ursachen und Wirkungen. Diese auf jene zurückzuführen, jene gegen diese abzuwägen, überall das Ungefähr auszuschliefsen, Alles was geschieht, so geschehen zu lassen, dafs es nicht anders geschehen könne: das, das ist seine Sache, wenn es in dem Felde der Geschichte arbeitet, um die unnützen Schätze des Gedächtnisses in Nahrungen des Geistes zu verwandeln."

Quam vero gnaviter *Cornelius* noster studeat, ut omnia ad causarum nexum reducat, ex eo liquet, quod saepenumero cum potestate

1) Lessingius, Dramaturgie, t. I; p. 235.

divina, cui aliquis eventus tribui, ac indiciis, quibus ille cognosci possit, simul et causas naturales conjungit. „Meliore fato fideque partium Flavianarum duces consilia belli tractabant[1]." „Illusit *Neroni* fortuna, per vanitatem ipsius et promissa *Cesellii Bassii*[2])." „Concionanti (prodigiosum dictu) tantum foedarum volucrum supervolitavit, ut nube atra diem obtenderent. Accessit dirum omen, profugus altaribus taurus, disjecto sacrificii adparatu, longe, nec, ubi feriri hostias mos est, confossus. Sed praecipuum ipse *Vitellius* ostentum erat, ignarus militiae, improvidus consilii[3])." „*Varus* fato et vi Arminii cecidit[4])."

Interdum etiam hoc ita facit, ut saltem alterutrum accipiendum relinquat. „Fato potentiae, raro sempiternae, an satias capit, aut illos, cum omnia tribuerunt, aut hos, cum jam nihil reliquum est, quod cupiant[5])." „*Silius*, sive fatali vecordia, an imminentium periculorum re-

1) Hist. III, 1. Cf. ibid. 59. Fortuna Flavianis ducibus non minus saepe, quam ratio adfuit.

2) Ann. XVI, 1.

3) Hist. III, 56.

4) Ann. I, 55.

5) Ann. III, 30.

medium ipsa pericula ratus, urgebat abrumpi dissimulationem [1])." „*Archelaus* finem vitae, sponte an fato, implevit [2])." „Observatum id antiquitus comitiis dirimendis non terruit *Galbam*, quo minus in castra pergeret, contemtorem talium (tempestatum), ut fortuitorum; seu, quae fato manent, quamvis significata, non vitantur [3])." „Sive ceperat (animum *Vectii Valentis*) ea (tempestatis atrocis) species, seu forte lapsa vox in praesagium vertit [4])." *Junius Rusticus* fatali quodam motu, seu prava solertia incerta pavet [5])." *Claudius* uxore ab *Octavia* fato quodam, an quia praevalent illicita, abhorrebat [6])." Fieri etiam potest, ut animi affectio hominibus, quibus aliquid imminet, hujus ipsius praesagio illata, id quod eventurum sit, urgeat promoveatque; cujus rei exemplum exhibuit *Vespasianus* [7]) et *Curtius Rufus* [8]).

1) Ann. XI, 26.
2) Ann. II, 42.
3) Hist. I, 18.
4) Ann. XI, 31.
5) Ann. V, 4.
6) Ann. XIII, 12.
7) Hist. II, 78.
8) Ann. XI, 21.

Sed *Tacitum*, quamvis rerum eventus ex physicis et psychologicis causis derivare studeat, nihilo minus tamen praeter hominis consilia [1]) motusque animi etiam Deos, fortunam ac fatum mundi regnandi participes habere ex ipsis his locis apparet.

Cum notione fati arctissimo nexu [2]) cohaeret *Divinationis* opinio. Cernitur hic maxime religio ubique numinis divinae efficacitatem agnoscens, imprimis, ubi quid praeter consuetum rerum ordinem accidit. Hinc prodigiorum opinio enata, omnium, aliorumque signorum, quibus voluntas Deorum ac fatum cognoscitur.

Supra jam locum [3]) transscripsimus, ex quo patet, *Tacitum* huic opinioni favere. Sed et alia, ubi hac de re nimis ingenue saepeque etiam cum anxietate quadam loquitur, atque omnia accuratissime enumerat, nobis magis persuadent, eum illam in dubium nequaquam vocare.

Ita crebris prodigiis — signis ac tentoriis militum igne coelesti, ardentibus, examine apium

1) Cf. l. c. Hift. III, 59.

2) Indicato etiam lingua et graeca (χράω - χρή, χρεών) et latina (for, fatus sum, fari, divinare, fatum, fatus, divinatio).

3) Hist. IV, 81.

fastigio Capitolii insidente, biformibus hominum partubus, et suis foetu edito, cui accipitrum ungues inessent; diminuto omnium magistratuum numero, quaestore, aedili, tribuno, ac praetore, et consule, paucos intra menses, defunctis, — ante *Claudii* mortem dicit cognitum esse, mutationem rerum in deterius portendi [1]). Ann. XV, 47 mentionem facit prodigiorum, quae omnia quoque accurate profert, eaque appellat nuntia imminentium malorum, quae profecto conjuratione *Pisoniana* mox acciderunt. Initio Historiarum [2]), postquam ingenium aevi atrox, idque sceleribus, multiplicibus rerum casibus, prodigiis, et futurorum praesagiis laetis, tristibus, ambiguis, manifestis abundasse indicavit, ita pergit: „Nec enim unquam atrocioribus Populi Rom. cladibus, magisve justis indiciis adprobatum est, non esse curae Deis securitatem nostram, esse ultionem." Die, quo *Bedriaci* certabatur, avem invisitata specie apud Regium Lepidum celebri luco consedisse, incolae memorant, nec denique coetu hominum, aut circumvolitantium alitum, territam pulsamve, donec Otho se ipse interficeret. Hanc

1) Ann. XII, 64.

2) I, 3.

rem *Tacitus* ita praefando inducit: „Ut conquirere fabulosa, et fictis oblectare legentium animos, procul gravitate coepti operis crediderim: ita vulgatis traditisque demere fidem non ausim[1]).“ Ceteris hujusmodi locis, ubi prodigiorum facit mentionem, omissis[2]), eum[3]) praecipue referemus, ubi gentem Judaeorum, quoniam prodigia, quae Hierosolymis expugnandis evenerant, neque hostiis, neque votis piare fas habeat, superstitioni[4]) obnoxiam, religionibus adversam adpellat.

1) Hist. II, 50.

2) Hist. I, 18, 62, 86; V, 13; Ann. II, 17; XIII, 41; XIV, 12; XV, 7.

3) Hist. V, 13.

4) Vario sensu Tacitus verbum superstitio usurpat. Etenim modo sensu bono, ut Hist. II, 78, ea indicat opinionem potentiae alicujus divinae ejusque explorationis, modo sensu malo rationem, qua quis rerum in natura insitatos eventus habet pro prodigigiis atque ominibus Deorum, ita ut sit quaecunque vana et delira religio, cui inest timor Numinis inanis (Ann. I, 28.). Huic superstitionis notioni conjungitur alia, qua significat vanam fiduciam in aliqua re collocatam (Hist. III, 58). Dein vero denotat omnium barbararum gentium cultum Deorum, et sensu quidem bono, ut Germ. c. 43. de Nahanarvalis; et sensu malo, ut Germ. 39. de gente Semnonum; ibique 45. de gente Aestyorum; Hist. II, 4; V,

Tacitus ut prodigia, ita etiam oracula, divinationes, praesagia prodigiis cognata refert eadem mente pia. Ubi vero illis futura respondisse, nulla dubitatione adjecta, asseverat, non est, cur dubitemus, quin non ipse eorum veritatem agnoscat. Affert Sostrati sacerdotis responsum *Tito* datum [1]); atque oculta lege fati et ostentis ac responsis destinatum Vespasiano liberisque ejus Imperium, post fortunam credit [2]). Non omittit Tiberii, cui *Trasyllus* magister scientiam Chaldaeorum tradiderat, praesagium de Ser. Galba, tum consule: *Et tu, Galba, quandoque degustabis imperium* [3]); idque ab ejusdem Trasylli filio de *Neronis* imperio datum [4]); nec non, quae *Tiberius Macroni*, *Caligulae* atque *Tiberio Gemello* minori ex nepotibus praedixit [5]). *Curtio Rufo*, in oppido Adrumeto, oblatam speciem muliebrem ultra

---

13. de Judaeis; Hist. IV, 54. de Druidis; Hist. IV, 81, de gente Aegytiorum Serapidem Deum colente; Ann, XIII, 32 de Christianis, quorum omnium religio (Religions-Cultus) discrepat a religione Romanorum.

1) Hist. I, 10,
2) Hist. II, 4,
3) Ann. VI, 20,
4) Ann. VI, 22.
5) Ann. VI, 46.

modum humanum et auditam esse refert vocem: *Tu es, Rufe, qui in hanc provinciam pro Consule venies.* Quod fatale praesagium eum implevisse Noster docet [1]). Notat porro responsum, quod Chaldaei dederunt Agrippinae consulenti de Nerone filio, ipsiusque praesagium [2]). Conferas etiam illa, quae Vespasiano ab haruspicibus ac Basilide sacerdote responsa esse refert [3]), et quae Germanico [4]).

Clarius expressit sententiam suam de vera divinandi arte, ubi refert, quae periti coelestium tulerint, *iis motibus siderum excessisse Roma Tiberium, ut reditus illi negaretur,* unde exitii causa multis fuerit, properum finem vitae conjectantibus vulgantibusque. „Mox, inquit *Tacitus*, patuit breve confinium artis et falsi; veraque quam obscuris tegerentur, nam *in urbem non regressurum,* haud forte dictum: ceterorum nescii egere, cum propinquo rure aut litore, et saepe moenia urbis adsidens, extremam senectam impleverit [5])."

1) Ann. XI, 21.
2) Ann. XIV, 9.
3) Hist. II, 78.
4) Ann. II, 14.
5) Ann. IV, 58.

Intelligimus ergo a Tacito veram divinationis artem esse statutam, quae solummodo propter perversam hominum interpretationem in errorem ducat; neque eum veritatem in dubium trahere non tam propter publicam Romanorum religionem, quam e Stoicorum de mundo sententia.

Unde igitur, quod videlicet error fit propter interpretationem, et in praesens non animadvertitur, cujus eventu postea tamen homines res, quae tunc eveniebant, neglectas habent pro monitu Deorum[1]); quod cupidine ingenii humani libentius obscura creduntur[2]), atque quod significatio hauruspicis *Galbae* tristia praedicit, *Otho* laetum e contrariis et ex suis cogitationibus prosperum interpretatur[3]), evenit, ut *Tacitus* non omnia, quae, qualiave vulgo, certisque temporibus atque animi affectionibus credebantur, habeat significantia. Quod quidem patet ex sequentibus.

„Sidus cometes effulsit: de quo vulgi opinio est, tanquam mutationem regnis portendat.

---

1) Ann. XV, 84. „In praesens haud animadversum: post arma Julii Vindicis ad auspicium et praesagium futurae ultionis trahebatur."

2) Hist. I, 22. Cf. Hist. I, 10.

3) Hist. I, 27. Cf. Ann. XV, 34.

Auxit rumorem pari vanitate orta interpretatio fulguris. Unde Plautum numine Deum destinari credebant [1])." „Britannicus in campo Martis sepultus est, adeo turbidis imbribus, ut vulgus iram Deum portendi crediderit adversus facinus [2])." „Adjicitur miraculum, velut numine oblatum [3])." „Prodigia crebra et irrita intercessere [4])." „Id a fortuitis vel naturalibus caussis in prodigium et omen imminentium cladium vertebatur [5])." „Prodigia insuper terrebant, diversis auctoribus vulgata — et plura alia, rudibus saeculis etiam in pace observata, quae nunc tantum metu audiuntur [6])." „Apud imperitos prodigii loco accipiebatur aquarum penuria [7])" — quoniam sunt mobiles ad superstitionem perculsae semel mentes [8])."

Sic quoque *Tacitum* nequaquam coeca religione omnia, quae antiquitas ad oracula referebat, amplectentem videmus; subdole adeo ea

1) Ann. XIV, 22.

2) Ann. XIII, 17.

3) Ann. XIII, 41.

4) Ann. XIV, 12.

5) Hist. I, 86. 6) Ibid.

7) Hist. IV, 26.

8) Ann. I, 28., ubi militem defectionem lunae aliaque in omen traxisse narrat.

perstringere videtur, quod iis mos sit, per ambages canere[1]). Quapropter et Chaldaeos adpellat genus hominum potentibus infidum, sperantibus fallax. Eodem animo aegro paulo post mathematicos pessimum principalis matrimonii instrumentum dicit[2]).

Quod si etiam *Tacitus* dubitare cogitur, „fato et sorte nascendi, ut cetera, ita Principum inclinatio in hos, offensio in illos: an sit aliquid in nostris consiliis[3])," id ei cum Stoicis ceteris commune esse videtur, quod et hi voluntatis humanae arbitrium, principiis suis de notione fati plane contrarium, per sententiam pro auctoritate latam sibi vindicabant, id quod sese exhibere atque exhibere debere, haud poterant recte demonstare[4]). Seneca, nulla ratione fati habita, evidenter loquitur de hominum libertate, quam dicunt moralem; illud vero respiciens, angustiis ipse premitur, ac quamvis promisit[5]), postea se demonstraturum esse, quemadmodum,

1) Ann. II, 54.
2) Hist. I, 22.
3) Ann. IV, 20.
4) Gell. N. A. VI, 2.
5) Nat. quaest. II, 38. Cf. Stob. II, 8.

manente fato, aliquid sit in humano arbitrio, nunquam tamen promisso satisfecit. Ratio vero sensusque, qui vocatur moralis, postulat, ne nos a rebus externis dirigi patiamur, sed consilio ac arbitrio agamus. Ratio hoc postulat, quod animus noster vis est sui ipsius potens. Unde solummodo virtutes et scelera; unde et remuneratio. Recte itaque dicit Noster alio loco: sorte nos nasci, virtute distingui, sese quasi corrigens. Hinc etiam *Taciti* de mundo opinioni subliniori dubium illud nullo fuisse detrimento, ipse ratione, qua opinionem de virtutibus et sceleribus tulit, hasque remunerandas esse jussit, satis superque comprobavit. Qua ex sententia transgredimur ad quaestionem: quid *Tacitus* de immortalitate animi censuerit, de qua nonnulla verba facere restat.

Natura cogimur, ut Deum, qui injurias vindicet ac virtutes decoret, credamus. Quum vero in vita id fieri nequaquam videamus, ac quum homo virtute insingnis beatitudine dignus sit eaque indigeat, sese immortalem esse, habet exploratum. Dehinc igitur *Tacitus* festinatam mortem grande solatium ferre dicit tempore rei-

publicae exhaustae ac tyranni saevientis[1]). Subest hisce verbis beatioris post mortem vitae cogitatio. Animum permansurum esse pro rato habens sane virum decere in fine vitae hujus vitam aeternam contemplando ad mortem obeundam sese praeparare opinatur. Tacite igitur reprehendit Petronium, quem referentes, nihil de immortalitate animae et sapientium placitis, sed levia carmina et faciles versus audiisse dicit[2]). Id vero, quod *Tacitus* de immortalitate cogitaverit, in fine libri, qui inscribitur Agricola[3]) conscriptum legimus, ubi ille amore tenerrimo commotus, ex Agricolae immortalitate uxori et filiae ejus atque ipsimet sibi dulce solatium petit, naturam animi ipsam explorans[4]).

Jam si, quae tractata, comprehendimus disputationis nostrae summa huc redit.

Tacitus agnovit vim superiorem, providenter mundum gubernantem resque mortalium volventem, censetque fieri posse, ut ejus consilia

---


1) Agr. 44.

2) Ann. XVI, 19.

3) C. 46.

4) „Forma mentis aeterna."

certis indiciis percipiantur, eidemque dirimendam esse litem, qua rationem ab immensis malis et erroribus, non raro bonae justaeque causae victoribus et tyrannis, usque inpugnari videmus; summam igitur virtutis exercendae legem consentaneam esse aeternis immutabilibusque legibus, quibus rerum universitas gubernatur. Quocirca, quum persuasum habeamus, nos ad finem nostrum, a natura ipsa propositum, quamquam post immensi temporis spatium esse perventuros, ideo animum nostrum necesse est immortalem censeamus.


Restauro
"San Giorgio" s.n.c.
VIA ROMA